



I. N. I.



EX quo in circulo sanguinis conspi-
 cua Mathesis divina, Harveo facem præ-
 ferente, detecta erat, hominesque mi-
 rabantur, problema de perpetuo Mobi-
 li, quod huc usque omnium Artificum
 industriam elusit, in cujusvis corpore dudum fuisse
 solutum; tantò majori animorum contentione qua-
 rebant machinam istam, cujus ope stupendum hoc ar-
 tificium perficeretur, quantò arctiori nexu humanam
 vitam cum circulo sanguinis videbant copulatam, ita
 ut cum eodem staret, caderetque ipsa salus humana.
 Nec infelici successu tandem deprehendebant, Cor
 esse mirandum illud organum, quod pabulo corpori
 universo circulatim distribuendo destinaverit divina
 providentia, cum omnibus requisitis, quæ ad hunc la-
 borem sustinendum desiderantur, abunde sit instru-
 ctum. Quoniam igitur Deus per hoc instrumentum
 in nos momentis singulis tot beneficia, quot in cor-
 pus effundit guttas sanguinis; existimavimus copio-
 sissimam materiam, ingenium æque ac pietatem exer-
 cendi, nobis suppeditari, si fontem hunc, ex quo ipsa
 vita nostra cum sanguine per totum corpus dimanat,
 oculo curiosiore perlustremus, indeque arripiamus
 occasionem demonstrandi existentiam optimi Numi-
 nis, ejusque sapientiam ac potentiam (qui primarius

A

scopus